

Latin: Level IV**Mandatory Selection**

Marrūcīne Asinī, manū sinistrā
 nōn bellē ūteris in iocō atque vīnō:
 tollis lintea neglegentiōrum.
 hoc salsum esse putās? fugit tē, inepte:
 quamvīs sordida rēs et invenusta est.
 nōn crēdis mihi? crēde Polliōnī
 frātrī, quī tua furta vel talentō
 mūtārī velit: est enim lepōrum
 differtus puer ac facētiārum.
 quārē aut hendecasyllabōs trecentōs
 exspectā aut mihi lintheum remitte;
 quod mē nōn movet aestimātiōne,
 vērūm est mnēmosynum meī sodālis.
 nam sūdāria Saetaba ex Hibērīs
 mīsērunt mihi mūnerī Fabullus
 et Verānius: haec amem necesse est
 ut Verāniolum meum et Fabullum.

- Catullus 12

Second Selection I

“heu! fuge, nāte deā, tēque hīs,” ait, “ēripe flammīs.
 hostis habet mūrōs; ruit altō ā culmine Trōia.
 sat patriae Priamōque datum: sī Pergama dextrā
 dēfendī possent, etiam hāc dēfēnsa fuissent.
 sacra suōsque tibī commendat Trōia Penātīs:
 hōs cape fātōrum comitēs, hīs moenia quaere,
 magna pererrātō statuēs quae dēnique pontō.”
 sīc ait, et manibus vittās Vestamque potentem
 aeternumque adytīs effert penetrālibus ignem.

- Vergil, *Aeneid* 2.289-297**Second Selection II**

vix ea fātus eram, gemitū cum tālia reddit:
 “vēnit summa diēs et inēluctābile tempus
 Dardaniae. fuimus Trōes, fuit Īlium et ingēns
 glōria Teucrōrum; ferus omnia Iuppiter Argōs
 trānstulit; incēnsā Danaī dominantur in urbe.
 arduus armātōs mediīs in moenibus adstāns
 fundit equus victorque Sinōn incendia miscet
 ĩnsultāns. portīs aliī bipatientibus adsunt,
 mīlia quot magnīs umquam vēnēre Mycēnīs;

- Vergil, *Aeneid* 2.323-331**Second Selection III**

“quid tantum ĩnsānō iuvat indulgēre dolōrī,
 ō dulcis coniūnx? nōn haec sine nūmine dīvum
 ēveniunt; nec tē comitem hinc portāre Creūsam
 fās aut ille sinit superī rēgnātor Olympī.
 longa tibi exsilia, et vastum maris aequor arandum;
 et terram Hesperiam veniēs, ubi Lȳdius arva
 inter opīma virum lēnī fluit agmine Thybris.
 illīc rēs laetae rēgnumque et rēgia coniūnx
 parta tibī. lacrimās dīlēctae pelle Creūsae.

- Vergil, *Aeneid* 2.776-784

Note: Participants are required to recite
 from memory two pieces: the
 Mandatory Selection and one of
 the Second Selections.